



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Primarii  
Professoris Wiederlegung Der vnchristlichen vnd  
vnbilligen Verleumbdungen/ damit Jhn D. Iacobus VVeller  
ChurSächsischer Oberhoffprediger ...**

**Calixt, Georg**

**Helmstedt**

Georgii Calixti Expositio Septimi & seqq. versuum cap XXXIX Geneseos ad  
historiam Iosephi de ejus continentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36653**

# APPENDIX

QVA NONNVLLA

QVORVM IN SVPERIORIBVS FACTA  
FVIT MENTIO,  
AVT QVAE AD SVPERIORA FACIUNT,  
EXHIBENTVR.

## GEORGII CALIXTI EXPOSITIO

Septimi & seqq. versuum cap. xxxix  
Geneseos

ad historiam Iosephi  
de ejus continentia.

**S**ollicitatur Ioseph ab uxore heri sui ad  
stuprum. Continentia autem ejus est me-  
morabilis & summâ laude digna, utpote  
qui juvenis esset & sollicitaretur à fâmi-  
nâ sine dubio juveniculâ. Erat autem po-  
litus in statu gratiæ, & in viâ ducente ad æ-  
ternam vitam. Nisi carnis cupiditates, quarum ut ho-  
mo & ut juvenis penitus immunis non erat, repressisset,  
& ab alienâ uxore abstinuisset, commisso adulterio gra-  
tiâ Dei & salute excidisset. Ait itaque, *Quomodo facerem* Gen. 39.  
*malum hoc maximum, & peccarem in Deum? Nempe scortato-*  
*res & adulteros damnabit Deus, Hebr. xiii, 4. Neq. scortatores,*  
a neq.



neg. idololatra, neg. mæchi, — neg. fures, neg. avari, neg. odiosi,  
neg. conviciatores, neg. rapaces, regni Dei hereditatem posside-  
bunt, 1 Cor. vi, 9. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adul-  
terium, scortatio, impuritas, lascivia &c. Qui talia agunt, regni  
Dei non erunt heredes, Gal. v, 19. Nostis nullum scortatorem,  
aut impurum, aut avarum habere hereditatem in regno Christi  
& Dei. Propter hæc enim venit ira Dei in homines inobedi-  
entes, Ephes. v, 5. Ergo ad evitandam damnationem &  
consequendam hereditatem regni Dei necessarium erit  
taliam non agere, sive abstinere ab operibus carnis, adul-  
terio, scortatione & similibus: atque hoc ipso morem  
gerere legi divinæ prohibenti adulteria, uti etiam ho-  
micia, furta, rapinas, & alia id genus opera carnis,  
Heb. 12, 14. Qualis sanè abstinencia ad eam pertinet *sanctimoniam*, si-  
ne quâ nemo videbit Dominum, id est, sine quâ nemo beati-  
tudinem & regnum cœleste consequetur. Sine quo au-  
tem res haberi vel obtineri non potest, id ad eam rem  
habendam vel obtinendam est necessarium. At sine a-  
ctibus abstinenciae, de quibus diximus, obsequiique eâ  
in parte legi divinæ præstiti, regnum cœleste haberi vel  
obtineri non potest. Ergo ejusmodi actus abstinenciae  
ab adulteriis, homicidiis & reliquis operibus carnis ad  
habendum vel obtinendum regnum cœleste sunt ne-  
cessarii.

II. Ne quid autem dubii relinquatur, aliter etiam,  
& fortè dilucidius, si quid tamen dilucidius aut deside-  
rari aut dari potest, proponemus. Quæ perpetrata cer-  
to certius salute arcant & excludunt, ab iis abstinere ad  
obtinendam salutem est necessarium. Propositio hæc  
ex se & suis terminis nota est. Si quis eam neget, ad pri-  
mum principium, quo humana cognitio regitur, revo-  
candus erit. Nempe, si vera non sit, contradictoriam  
ejus



ejus veram fore, quum utraque simul aut vera aut falsa  
esse nequeat. *Hec enim est, ut ait Philippus, regula divini Lib. 4 Dicitur  
& humani iudicii aeterna & immota.* Contradictoria fuerit, <sup>100.</sup>  
*Quæ perpetrata salute certissimè excludunt, ab iis ab-*  
*stinere ad obtinendam salutem non est necessarium.*  
Hæc verò falsissima est & absurdissima: contradic-  
tionem enim involvit, ita ut subjectum destruat prædica-  
tum, & prædicatum vicissim tollat subjectum. nam sub-  
jectum ponit, Si perperes, te salute excidere, sive salu-  
tem non posse consequi, (in eo puta statu, & sensu com-  
posito) hoc ipso videlicet, quod dicitur, *Quæ perpetrata*  
*salute certissimè excludunt.* At prædicatum ponit, Etiam si  
non abstineas, sed perperes, & perpetrare pergas, nihi-  
lominus te salute non excidere, sive salutem consequi  
posse; hoc ipso videlicet, quod dicitur, *Ab iis abstinere*  
*ad obtinendam salutem non est necessarium.* Propositio igitur  
ista posterior est falsa & absurda, utpote quæ suo sub-  
jecto & prædicato inter se mutuò pugnantibus contra-  
dictionem involvat, & *ista perpetrata salute excludere &*  
*non excludere,* simul ponat. Perinde enim est, ac si di-  
cas, *Quæ perpetrata salute certissimè excludunt, ab iis*  
*abstinere, ne salute excludaris, non est necessarium.* Cu-  
jus effati absurditas nemini sano homini potest esse ob-  
seura. Prior itaque vera est, nempe *Quæ perpetrata cer-*  
*to certius salute excludunt, ab iis abstinere ad obtinen-*  
*dam salutem est necessarium.* At adulteria, homicidia  
& alia carnis opera, si perperentur, certo certius salute  
excludunt. Ergo ad obtinendam salutem necessarium  
est (& quidem cuius mortalium, etiam fidei & renato  
& in statu gratiæ viaque salutis jam constituto) ut ab iis  
abstineat, & præceptis divinis prohibentibus occidere,  
scortari, mœchari, furari, calumniari, pareat obsequi-  
umque præstet.



III. Ergone, inquires, huiusmodi abstinentiæ opus vel actus, obsequiumque legi divinæ præstitum hereditatem regni coelestis meretur; & sicut ex fide & per fidem salvamur, ita quoque per istam abstinentiam, sive per istud obsequium? Minimè verò. Nullum enim esse meritum hominis ad Deum relati, si meritum propriè capiatur, alibi ostenditur: & hominem servari per fidem & ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis, sanctus apostolus Paulus ita perspicuè docuit, ut in proclivi sit intelligere, causandi rationem, quod salutem nostram attinet, quæ fidei tribuitur, operibus legis, & proinde huic quoque, de quâ modò loquimur, abstinentiæ & obœdientiæ, quæ secundum legem ab homine renato per opem gratiamque divinam præstetur, detrahi. Quum tamen sit necessaria, adeo ut nisi præstes, id est, nisi ab adulteriis, scortationibus, (etiamsi sit opportunitas quâ homines clanculum & impune, qualis Iosepho sine dubio oblata fuit, committendi) abstineas, aut si olim commiseris, committere desinas, hereditatem regni coelestis consequi non possis; inde fit, ut necessaria sit alio modo, quàm ad modum meriti aut causæ. Rectè Bernhardus *viam regni* dixit, *non causam regnandi*. Dici quoque potest conditio, vel causa sine quâ non, vel causa quæ removeat prohibens. Rom. I. 12, 13. *Si spiritu actiones carnis mortificetis, vivetis*. Ita sanè mortificabat Iosephus. Sequitur versu 17: *Heredes sumus Dei, coheredes autem Christi, si modò cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur*.

De gratiâ  
& lib. arb.

IV. Christiano & fidei, quando sæviunt tyranni & persecutores, aliquando incumbit necessitas aut extrema quæque patiendi, patriam videlicet, fortunas imò vitam amittendi, aut Christum abnegandi, eoque abnegato salutem & beatitudinem perdendi. *Quisquis enim* abne-



*abnegaverit me, ait ipse Christus, coram hominibus, abne-*  
*gabo eum & ego coram Patre meo qui est in cælis, Matth. x, 33.*  
*Et quisquis tali rerum statu voluerit animam suam servare,*  
*perdet eam, Matth. x, 39; xvi, 25. Marci ix, 35; Lucæ ix, 24.*  
 In his igitur angustiis positum oportet unâ cum Christo  
 pati, id est suarum fortunarum vitæque rationem nullam  
 habere, & jacturam facere, ut Christum retineat, & unâ  
 eum eo glorificetur. Quo sanè casu ad retinendum Chri-  
 stum & obtinendam glorificationem necessarium est  
 terrena omnia contemnere & abjicere, mortemque &  
 martyrium subire. Hanc fidelium conditionem, eo præ-  
 sertim ævo, quo non minùs acerbæ quàm frequentes e-  
 rant persecutiones, intuitus auctor epistolæ ad Hebræ-  
 os, *Patientia, inquit, vobis est necessaria, ut voluntatem Dei* Cap. 10, 36.  
*facientes reportetis promissionem, id est, promissam æter-*  
*nam vitam. Patientia ad martyrium & mortem usque*  
*sæpe est necessaria, ut antè fuit dictum. Quando videli-*  
*cet alterutrum eligere oportet, aut Christum unâ cum*  
*æternâ vitâ, aut abnegationem Christi unâ cum tempo-*  
*rali. Ad consequendam sive non-amittendam æter-*  
*nam necessarium est homini Christiano eo casu & re-*  
*rum statu contemnere & abjicere temporalem. Nisi e-*  
*nim malit perdere temporalem, abnegabit Christum &*  
*perdet æternam. Vnde Christus ipse Marci ix, 35: Quis-*  
*quis voluerit animam suam servare, perdet eam; quisquis autem*  
*perdiderit animam suam causâ meâ & evangelii, servabit eam.*  
*Lucæ xii, 9: Qui me abnegaverit in conspectu hominum, abne-*  
*gabitur in conspectu angelorum Dei. Et Sanctus Paulus ii*  
*Tim. 11, 12: Si toleramus, etiam conregnabimus; si abnegamus,*  
*& ille abnegabit nos. Quippe per multas afflictiones oportet*  
*nos ingredi in regnum Dei, Act. xiv, 22. Et qui non accipit*  
*crucem suam, ait Servator, & sequitur me, non est me dignus,*  
*Matth. x, 38.*



V. Sicut autem tali rerum facie Christiano, ne  
perdat coelestem vitam, necessarium est terrenam susq;  
deq; habere, mortemque & martyrium subire; qualis ta-  
men necessitas nec semper, nec omnibus incumbit: ita  
cuivis Christum amplexo, ut in Christo maneat, grati-  
am & fidem retineat, & *finem fidei*, salutem videlicet ani-  
mae suae reportet, necessarium est spirituale quamdam  
mortem & spirituale martyrium subire, hoc est, *carnem*  
Gal. 5. 24. *cum affectibus & cupiditatibus crucifigere*, quemadmodum  
sanè crucifixerat noster Iosephus. Oportet *vererem no-*  
*strum hominem cum Christo crucifigi*, ut aboleatur corpus pecca-  
ti, ne amplius serviamus peccato, Rom. vi. 6. Nam qui passus  
est in carne, siue qui carnem eiusque desideria crucifixit,  
destitit à peccato, ut non amplius cupiditatibus hominum, sed  
voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivat, 1  
Petri iv. 1.

VI. Qui verò renuit spirituale hoc martyrium  
subire, siue carnem suam in vicia proclivem crucifigere  
& mortificare, & carnis cupiditates injecto continentiae  
freno coërcere, sed mavult fovere & operibus perficere,  
verbi gratiâ, lasciviae indulgere, scortationes & adulte-  
ria committere; is nec in statu gratiae permanere, nec fi-  
dem & Spiritum sanctum, etiam si adeptus fuerit, reti-  
nere, nec hereditatem regni coelestis consequi potest.  
Igitur ut consequatur, necesse est eum carnem suam cru-  
cifigere, domare, mortificare, eiusque desideria opere  
non complere. Nam si secundum carnem vixeritis, futurum  
est ut moriamini; sed si spiritu actiones carnis mortificetis, vi-  
vetis, Rom. ix. 13. Quod si conditionem significet,  
ubi veram causam significare nequit, norunt etiam  
pueri.

VII. Quibus olim trita quoque erat & familiaris  
Diale.



Dialectica Philippi, cuius quarto libro discrimen inter  
 veram causam, & causam sine quâ non, quæ mera con-  
 ditioni a quipoller, explicatur his verbis: *Est causa verè*  
*sic dicta, quæ non solum adest ociosa, sed etiam re ipsâ agit aliquid*  
*in pariendo effectum, aut pars est eius rei, quæ constituitur. Sed*  
*causa sine quâ non, nihil agit, nec est pars constituens, sed tan-*  
*tum est quiddam, sine quo non fit effectus, seu quod si non adesset,*  
*impediretur agens, ideo, quia illud non accessisset. Galenus sic de-*  
*finiuit in tertio libro de differentiis symptomatum: Ea quæ nihil*  
*conferunt, non possunt autem separari à conferentibus, habent*  
*rationem causæ, quæ dicitur sine quâ non. A fide verò, per*  
*quam nos salvari Deus voluit, non potest separari stu-*  
*dium pietatis, fuga vitiorum, & obœdientia Deo legiq;*  
*divinæ debita. Quis ferat doceri, ait Lutherus, Quod fides* Ad Gal. 5. 6.  
*donum Dei per Spiritum sanctum infusum cordibus, possit stare*  
*cum peccato mortali? Vbi itaque necessaria est fides, ex quâ* Rom. 8. 17.  
*iusus vivet, ibi quoque necessaria sunt, quæ modò dixi.* Gal. 3. 11.  
 mus: alio tamen, si referas ad eundem effectum, ne-  
 cessitatis gradu, nempe non quidem, ut vera causa, sed  
 ut conditio sive causa sine quâ non.

IIIX. Quum itaque necesse sit omnem, qui verè  
 credit, studiosum esse pietatis & alienum à perpetrân-  
 dis operibus carnis; necesse etiam sit omnem in statu  
 gratiæ positum, & viam, quâ ad salutem itur, ingressum  
 verè credere: hinc fit ut necesse sit omnem, qualem jam  
 diximus, sive omnem salvandum esse studiosum piete-  
 tis & alienum à perpetrândis operibus carnis, scortati-  
 onibus, adulteriis & similibus, etiam si eò invitent car-  
 nales cupiditates, & alliciat occasio, & certa sit, quod  
 homines attinet, sive occultatio, sive impunitas. Nem-  
 pe quæ inseparabiliter & necessariò cohærent, ita sese  
 habent, ut ubi necessarium est unum, ibi quoque neces-  
 sarium



sarium sit alterum, quamvis si effectum ipsum respicias, non semper pari necessitatis gradu, sed unum propter necessitatem efficientiæ, alterum propter necessitatem coherentiæ vel compræsentii, de quâ diximus; sive unum ut vera causa, alterum ut causa sine quâ non.

IX. Nec hinc abludit causa quæ removet prohibens: nam ipsa quoque ad effectum non confert verum & realem influxum, sed removet impedimenta & ea, cum quibus causæ agentes vel earum actiones consistere simul non possunt. Eo fere modo ad curationem vulneris facit abstersio puris: hujus enim præsentia consolidationem, quam natura & medicamenta moliuntur, impedit. Pus autem vitiorum, quo exuberante sanitas & salus animæ sperari non potest, abstergitur & amovetur à studio pietatis & observatione mandatorum Dei. In morbo acuto, ut ardente febre, abstinere ab ingurgitando vino non quidem vera & propria causa est curandæ & restaurandæ valetudinis: nisi tamen æger abstineat, curari & restitui non potest. Ejusmodi igitur abstinencia etiam si non sit causa depulsi & superati morbi, necessaria tamen est ad recuperandam sanitatem & superandum morbum, quia videlicet amovet id ipsum, quo permanente sanitas recuperari & morbus superari non posset. Tectum igni superimpositum non influit in esse ignis, ut loquuntur, sive influxum veræ causalitatis non confert: intercipit tamen & avertit imbres, qui nisi removerentur, ignem exstinguerent. Ita nisi Iosephus noster continentiam & castitatem tectus fuisset, imber libidinis irruisset, & in vecto adulterio ignem fidei & spem salutis in herbâ oppressisset.

X. Iuvenem Iosephum juvenes, quorum ætas periculo magis obnoxia, ob oculos sibi ponant & imitentur, &



tur, & se quoque adversus carnis suæ titillationes & illecebras meretricias serio pietatis, castimoniae & continentiae studio muniant, involvant, contegant, ne libidines non modò prosperitatem, quam in hisce terris sperare poterant, sed omnem propitii numinis favorem & ipsam æternam salutem iis eripiant.

XI. Dices, Etiam si delinquat adolescens, dum cupiditatibus suis obsequitur & lasciviae operatur; potest tamen acta poenitentia in integrum restitui, atq; ita non obstantibus prioris vitae flagitiis salutem consequi. Respondeo, Hoc ipso quòd flagitia perpetrat, statu gratiae & salutis excidit, & in statum damnationis incidit. Potest quidem, si divina benignitas indulgeat, si tempus & occasio in viam redeundi suppetat, nec ipse divinae gratiae ad poenitentiam invitanti desit, in pristinum locum restitui: sed hoc totum contingens est, & potest etiam non fieri. Flagitium perpetratum per se consequitur ira Dei & status damnationis; reditus in viam, reconciliatio & restitutio non nisi ex accidenti, atque ita, ut possint etiam non sequi, & saepe numquam sequantur. Volumus autem hic considerari verba Sancti Petri 11 epist. 11, 20: *Si, postquam pollutiones mundi per agnitionem domini & servatoris Iesu Christi effugerint, his rursus implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore.*

XII. Absit igitur, absit aliquem aut adeo vacordem esse aut impium, ut si ve juvenutem in vitia alioquin suâ temeritate pronam, si ve vulgus hisce praesertim infelicissimis temporibus in flagitia praiceps, doceat, *Daß keinem der Christen sein vnd selig werden wil / zu seiner Seligkeit nöhtig sey / Ehebruch / Hurerey vnd dergleichen Laster zu meiden.* Item *Daß deme / der dieselbe begangen /*  
b  
davon



davon abzustehen / vnd nach Gottes Gebot / die solche verbieten / zu leben / zu seiner Seligkeit vnnöthig sey. Item Daß ohne verlust der Seligkeit gemelte vnd andere dergleichen Sünde können begangen / oder darinne fortgefahen werden.

**H**AEc equidem ad eum modum anno MDXCLXI scripsi, evulgavi, & exempla hinc inde ad amicos, qui vel tales reapse essent, vel ego saltem esse tum temporis, quamvis deceptus, crederem, transmissi. Nemo erat, qui contra mutiret, vel quidquam moneret aut opponeret. Neque verò potuit quisquam, nisi eadem operam Christianam pietatis & religionis fundamenta evertere, ipsum Christianismum pessumdare, & flagitia patentibus portis admittere satageret. Post septem demum annos venit in manus meas prodigiosus liber, Dantis editus, cui titulus *Censura Theologorum orthodoxorum contra D. Iohannem Latermannum, publicae luci exposita studio & operam ministerii respectivè Tripolitani Regiomontani*. In eo deprehendi epistolam D. Hulsemanni D. Celestino Mislenz scriptam anno MDXCLVI, die IX Octobris; in quâ hæc sunt verba: *Inferlici fidere nata est interea Helmestadii disputatio de necessitate bonorum operum ad salutem.* — *Clasicum quidem dudum sustulit* (diceret *signum sustulit*, vel *clasicum cecinit*, si latinè loqueretur) *D. Callixtus in Historiâ Iosephi*. Vbi verò in Historiâ Iosephi dixi vel scripsi *Bona opera esse necessaria ad salutem*? Propter ambiguitatem & certas alias causas numquam equidem illo usus sum loquendi modo; nec utor. Dixi & dico: Christiano adulto, ut in statu gratiæ permaneat, Spiritum sanctum & fidem retineat, & tandem fine fidei sive æternæ salute potiatur, necessarium est operam dare servandis mandatis divinis, abstinere à flagitiis & studere pietati, sive declinare à malo & facere quod bonum est. Hoc, inquam, modo & sensu loquutus hæcenus semper sum, & porro loquar.

Sed pergat Hulsemannus: *Atque alibi vocat seipsum præconem universæ Ecclesiæ Christianæ, cuius nempe sententiam solus promat.* Nisi Hulsemannus ostenderit, quando & quo loco



loco memetipsum vocaverim praedonem universae ecclesiae Christianae; causam dicere non poterit, quin hic in flagrante mendacio deprehensus perhibeatur. Non solco servare exempla literarum, quas amicis scribo, sed sicut manu meâ concipio, ita nunciis tradere. Praestitit autem mihi Reverendus & clarissimus vir, Dn. Lic. Ioh. Benedictus Capzovius eam operam, ut literarum, quas ad Dn. D. Henricum Hopfnerum τὸν μακαρίτην ultimas dedi, exemplum describi faceret, & Lipsiâ transmitteret. In iis hæc lego: *Contigit, ut historia Iosephi à me olim enarrata denuò ederetur. Eam quum relegerem, & in locum, quo abstinentia Iosephi memoratur, inciderem, commodum existimaui, ad quem meam & universae ecclesiae sententiam si non prolixè, attamen perspicuè exponerem.* Hulfemannus, qui quæ ad amicos scripsi sublegere & evulgare amat, edi fecit, & quidem alio quàm cetera characterum genere, *universam Christianae ecclesiae sententiam:* Dial. pag. 449.  
inde pro suo acumine sine dubio deducturus, quòd memetipsum vocem praedonem universae Ecclesiae Christianae, cuius nempe sententiam solus promam. Quasi verò qui doctrinam de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione vel alio fidei articulo tractaturus dicat se universae Ecclesiae sententiam exponere; hoc ipso se vocet praedonem universae ecclesiae Christianae, cuius nempe sententiam solus promat.

Sed iterum pergat Hulfemannus. Cum, ante quinquennium Dn. Henricus Hopfnerus b. m. per literas privatas monuisset D. Calixtum de hac pravariatione, respondit Hopfnerum non esse sanæ mentis. Quòd D. Hopfnerus de pravariatione, quam in meâ Iosephi historiâ deprehendisset, me monuerit, aio falsum esse, & quòd neque factum sit, neque fieri fortè poterit. Nempe vere vel æstate anni cix to c xli edita est illa Historia. Quum in autumno Lipsiam proficisceretur filius meus Fridericus Vlrucus, tradidi ferendam D. Hopfnero τὸν μακαρίτην, addidiq̃ue literas non modò filium, sed ipsam illam doctrinam, tamquam summè, deploratis præsertim hisce moribus & temporibus, necessariam & ex assè Christianam, commendantes. Filius sub initium Octobris Lipsiam veniens invenit D. Hopfnerum cum fatali morbo, quo etiam obiit,



colluctantem. Reddidit Historiam & adjunctas literas, sed nullas umquam recepit. In veritatem itaque prævaricatur Hulsemannus, quando scribit, D. Hopfnerum *de prævaricatione*, quam in Historiâ illâ deprehendisset, me monuisse. Quin etiam hoc falsum est, *me respondisse, Hopfnerum non esse sanæ mentis.* Literas enim, quarum jam memini, ultimas ad D. Hopfnerum dedi, nec ullas postilla vel ab eo recepi, vel ad eum misi. Annus autem exactus jam erat, ex quo ad eum scripseram, quod animum ejus à morbo turbari animadverterem. Quod sanè multis contingit; & minimè idem est cum altero, *hominem non esse sanæ mentis.*

- Sed ad *prævaricationem* Hulsemannicam redeamus. Conatur ille huic vocabulo nescio quas significationes tribuere.
- Præfat.** Mirum est, quum alias notitiam legum crepare vel ostentare  
**pag. 89.** soleat, quod acceptioni, quæ in legibus vocabulo tribuitur,  
**Libr. 18.** non inhæreat. Plinius ait: *Arator, nisi incurvus, prævaricatur;*  
**cap. 19.** *Inde translatus hoc crimen in forum.* Vlpianus igitur in Digestis,  
**Lege 4.** De his qui notantur infamiâ: *Prævaricator est quasi varicator, qui diversam partem adiuvat, proditâ suâ: nam qui prævaricatur ex utraq. parte consistit; quin imò ex adversa, sive alterâ, sicut legitur titulo De prævaricatione, ubi hæc ipsa repetuntur.* Idem de  
**Lege 212.** V.S. *Prævaricatores eos appellamus, qui causam adversariis suis donant.* Huc ego respiciens scripsi Exercitatione De auctoritate  
**Num. ult.** Scripturæ & numero librorum canonicorum, me non sperare, quod homines aliquo modo sani atheismo affinem pronuntiaturi sint doctrinam, quæ inculcet, renatis & fidelibus, ut in statu gratiæ maneant, & sine fidei suæ, quæ est salus animarum, tandem potiantur, incumbere necessitatem abstinendi ab operibus carnis, & sanctimoniam, sine quâ nemo Dominum videbit, sectandæ. Neque dicent *prævaricationem* esse, si juvenes seriò moneantur, ut exemplum Iosephi imitentur, & continentiam operentur, *ne libidines non modo prosperitatem, quam in hisce terris sperare poterant, sed omnem propitiū numinis favorem & ipsam æternam salutem iis eripiant.* Qui diis gentium Li-  
bero



bero & Veneri sacramentum dixerunt, prævaricabuntur equidem, si ad istum modum docuerint: nos verò minimè, qui diabolo & ejus operibus dudum renuntiavimus. Hæc ibi, & plura alia in eundem sententiam.

In ipsâ verò ultimâ meâ ad Hopfnerum epistolâ, *Numquam, inquam, vel ioco vel serio contendes, hominibus Christi religionem professis ad statum gratiæ & salutis retinendum, & ad obtinendum finem, quem omnes desideramus, necessarium non esse, ut ab idolorum cultu, ab incantationibus aliisq; divini nominis profanationibus, a contemptu verbi divini sibi caveant, vel ab homicidiis, vagis & impuris libidinibus, scortationibus, adulteriis & id genus flagitiis abstineant, & abstinendo præceptis divinis morem gerant: absq; tali abstinence & absq; obsequio hac in parte Deo Deiq; legi præstito servari eos posse.* Hulsemannus hanc epistolam nactus edi fecit, & majusculis characteribus exprimi vocabula ad retinendum statum gratiæ & obtinendum finem: quod ipsum indicio est eum improbare quæ hic dixi, & amplecti sententiam quam ego rejeci, atque adeo statuere quòd abstinere ab enumeratis criminibus & peccatis non sit homini renato necessarium, ut statum gratiæ non amittat & sine fidei, qui est salus animarum, potiatur. Quid autem hoc aliud est, quam opera carnis ab Apostolo memorata, etiamsi committantur, regnò tamen Dei non excludere? Quod quum vel apertè adserat, vel ea, è quibus necessario sequitur, ponat, nihilominus videri vult improbasse.

Prævaricatio quocumque modo, & si vel maximè juxta vulgatam Bibliorum versionem capiatur, *transgressio* est, *crimen*, *delictum*, *apostasía*; quin imò in mitissimo sensu *magnus & noxius error*. Clavis Scripturæ exponit, ut sequitur: *Prævaricator* verbum pro diversis Hebræis *Vulgata* versio usurpat. Significat autem peccare aut violare mandatum Dei. Hulsemannus itaque, quum doctrinam, quam de incumbente fidelibus & renatis (adultis, inquam) vivendi secundum spiritum, & non secundum carnem, sive mandata divina servandi & opera carnis vitandi necessitate in Historiâ Iosephi ego proposui, *prævaricationem* appellet, eam minimùm grandis erroris accusat. Ut



evidentiùs pateat, quid ibi docuerim, repetam hîc conclusi-  
ones, quas ex Scripturæ testimoniis, rationibus & præmissis  
deduxi, & de quo nullus dubito, evici. Vna est numero pri-  
mo: Abstinere ab operibus carnis, adulterio, scor-  
tatione & similibus, atque hoc ipso morem gere-  
re legi divinæ prohibenti adulteria, uti etiam ho-  
micidia, furta, rapinas, & alia id genus opera car-  
nis; est ad evitandam damnationem & consequen-  
dam hereditatem regni cœlestis necessarium. Al-  
tera priori æquipollens habetur sub finem ejusdem tmematis:  
Actus abstinentiæ ab adulteriis, homicidiis &  
reliquis operibus carnis ad habendum vel obti-  
nendum regnum cœleste sunt necessarii. Tertia iti-  
dem æquipollens sub finem secundi tmematis ponitur: Ab  
adulteriis, homicidiis, & aliis operibus carnis ab-  
stinere, & præceptis divinis ea prohibentibus pa-  
rere obsequiumque præstare est cuiusvis fidei, & re-  
nato, & in statu gratiæ viâque salutis constituto  
ad salutem reapse tandem obtinendam necessarium.  
Quarta numero quarto: Patientia ad martyrium &  
mortem usque, sive terrena omnia contemnere &  
abjicere, mortemque & martyrium subire, est,  
quando incumbunt persecutiones, ad retinen-  
dum Christum & obtinendam glorificationem  
necessarium. Quinta segmento quinto: Spiritualem  
quamdam mortem & spirituale martyrium subi-  
re, hoc est, carnem cum affectibus & cupiditati-  
bus crucifigere, est cuiusvis Christum amplexo, ut in  
Chri-



Christo maneat, gratiam & fidem retineat, & finem fidei, salutem videlicet animæ suæ reportet, necessarium. Omnes hæc propositiones sive conclusiones affirmantes sunt: quæ si veræ non sunt, oportet veras esse, quæ eis opponuntur & contradicunt, negantes; quas, quum pleræque partim verbis partim rebus æquipolleant, promittum est cogere in hanc unam: *Ab adulteriis, scortationibus & similibus operibus carnis abstinere, legi divinæ ea prohibenti morem gerere, aut etiam incumbente persecutione vitam malle ponere, quàm Christum abnegare, non est homini renato, ut à damnatione immunis in Christo maneat, & hereditatem regni cœlestis adsequatur, necessarium:* & proinde etiam si ab operibus carnis non abstineat, nec legi divinæ ea prohibenti morem gerat, aut etiam incumbente persecutione Christum abneget; nihilominus damnationem non incurrit, nec statu gratiæ excidit, nec jus adeundæ cœlestis hereditatis perdit. Quum D. Hulsemannus doctrinam Historiâ illâ Iosephi expositam *prævaricationem* appellet, nequeo id ipsum aliter intelligere, vel inde aliud colligere, quàm D. Hulsemannum meas illas affirmantes rejicere & improbare, & amplecti oppositam negantem. Quod si facit, si contradicentes & negantes vel juventuti studiosæ & cathedrâ academicâ, vel populo Christiano ex ecclesiasticâ proponit & inculcat, affirmo ipsum in causâ Christi, quam agendam contra Satanam suscepit, *prævaricari*, & adversario causam prodere, id est, regnum Christi, cui augendo & stabiliendo oporteret operam navare, labefactatum ire, & contra Satanæ regno, quod oporteret minuere & evertere, velificari. Injurias & contumelias mihi privatim illatas possum contemnere, & nisi vindicari e re sit publicâ, negligere. At fundamenta pietatis convelli, tantam ecclesiis, quas dixi, labem inuri, tot myriades animarum in præsentissimum æternæ damnationis periculum conjici, non possum ferre. Stabo

& ar-



& arcebo divinâ gratiâ & virtute fretus, dum spiritus hos regit artus.

Numero sexto habetur sexta propositio, quæ negans est, in hunc modum: Qui renuit carnis cupiditates injecto concupiscentiæ freno coercere, sed mavult scortationes & adulteria committere; is non potest in statu gratiæ permanere, nec fidem & Spiritum sanctum, etiamsi adeptus fuerit, retinere, nec hereditatem regni cœlestis consequi. Hanc qui rejecerit, eum oportet recipere & admittere oppositam affirmantem: quin etiam tres illas, quas sub finem istius mei discursus vernaculo idiomate, certis de causis, adjeci. Quum ista scriberem, persuasus eram quosvis, quorum pectoribus vel mica Christiani sanguinis inesset, enunciata ista, quæ germanicè proposui, non sine horrore audituros, & audita evestigio, cane peius & angue, aversaturos & execraturus. Accusationibus igitur ab Hulsemanno confarcinatis quum responderem, & hæc ipsa adduxissem, subjunxi, *Eiusmodi enunciata vobis non magis probari & placere, quam mihi, certus sum. Neque dissimulo eam, qui talia docuerit, nomine Christiano indignum à me habere.* Certus equidem mihi tum temporis videbar esse. Sed postea non sine admiratione ex evulgatâ Hulsemanni epistolâ didici eum doctrinam in Historiâ Iosephi à me propositam, nempe approbationem sex illorum latinorum enunciorum, & improbationem trium germanicorum alio loco non habere, quàm *prevaricationis*. Ego verò, quod paullò antè affirmabam, repeto & adsevero, eos qui Satanæ renunciarunt, & Christo sacramentum dixerunt, si sex illa improbent, & ista tria approbent, prævaricari & cum adversario colludere, & edificandi ac amplificandi operam, quam Christi regno debebant, Satanæ regno impendere.

Pref. pag.  
17.

Illud autem lepidum est, quod ex eadem ad D. Hopfnerum datâ epistolâ persuadere conatur Hulsemannus, adeo me rudem esse, & Latinâ linguâ ignarum, ut scripserim *Filio meo*



meo vobis commendatum cupio; & nesciverim scribi oportere, Fi-  
 lium meum commendatum cupio. Ut autem mea ruditas eo magis  
 innotesceret, & passim evulgaretur, peculiari & solenni epi-  
 graphe in Indicem retulit *Calixti peccata in regula Grammatica.*  
 Hæc videlicet voluit exstare, & omnibus esse nota. Per me  
 verò licet ut persuadeat quibus potest, adeo me imperitum  
 esse regularum Grammaticæ, ut non per festinationem, dum  
 fortè folium verto & aliud in animo habeo, sed ex insitiâ  
 scripserim, *Filio meo commendatum cupio*: aut alibi signa paren-  
 theseos amanuensis non prætermiserit, sed ego Grammati-  
 cam ignoraverim. Nescio an inde pro suâ comitate me alibi  
*periculosum grammaticum* appelleret: an verò ne nescii simus Dial. pag. 13.  
 quàm elatum sit hominis supercilium, quàm indomita sese  
 efferendi, & alios præ se contemnendi conviciisq; proscin-  
 dendi libido. Interim, quoniam huc delapsi sumus, liceat  
 mihi mortalium infimo ab hoc summo virorum quærere, jux-  
 ta quas Grammaticæ regulas non quidem in schedis manu  
 exaratis, sed in libris typo expressis vocem *OPORTET* constru-  
 at cum casu, quem Nominativum vocamus. *Quantum*, in-  
 quit, *spatii, qualis deliberatio precedere oporteat.* Harmoniâ Apo-  
 stolicâ SS. Pauli & Jacobi, segmento XXIII. Rursus Dedicatio-  
 ne Dissertationis De jure & moderatione correptionis fra-  
 ternæ: *Magnâ certè veneratione excipi oportebat Serenissimi Parentis*  
*Tui sollicitudo.* Ego sanè fateor me ignorare quâ auctoritate  
 nitatur, nisi fortè alicujus nuper exstructi tribunalis, cujus  
 patrocinio tutâ quoque sit Scharffii *επιστολή*, & novitas in  
 antiquitatem, antiquitas verò in novitatem transmutetur.  
 Solet se Hulsemannus oblectare dicacitate, quâ me insectatur  
 Nihusius. Quò magis se oblectet, audiat quoque quæ in  
 ipsummet idem Nihusius, & quidem quod attinet rem, in cu-  
 jus mentionem modò incidimus, latinam. Sic enim eum al-  
 loquitur Epilogo suarum annotationum de communione O-  
 rientalium: *Gloriaris de linguarum præ Catholicis peritiâ, qui lati-  
 nam ignorat ipsemet quâ putidissimè: nempe dum, quod Germanis est*  
*Ambelt, & Latinis INCVDEM sonat, AMBONEM baptizat;*  
*nempe nisi scribis Manua is tui Disputatione XX. paragrapho XII:*  
Frustu-



Frustulum magnetis non potest ambonem loco movere, quod iusta particula potest. quum *AMBO* tamen seu *AMBON* sit suggestum. Quum codicem mihi ostendi facerem, ita esse, ut memorat Nihusius, deprehendi.

Vix ped'culosum Grammaticum me nominarat, quum mox addit improbius convicium, & impudentem senectutem appellat (alias non semel senectutem, quasi opprobrio esset, mihi obijcit) & subjungit, cui fides in Ecclesia dudum perit. Si mihi fides in Ecclesia dudum perit, quâ fide ille non adeo dudum de Ecclesia optimè meritum perhibuit? quâ fide scripsit, quod me pro insigni merito meo non solum in amore atq; oculis, sed filiali etiam observantia habiturus sit? quâ fide non saltem privatis literis, sed publico documento me pronunciavit eimen berühmten und Augsburgischer confession ungezweifelt zugethanen hohen Schul in Helmstädt weltkundigen wolverdienten Theologum? Aut tunc improbè mentitus est, aut hodie nequiter mentitur.

Censur.  
pag. 146.

Indice.  
Dial. pag.  
pag. 167  
& 131.

Pag. 72.

Taceo jam, quod mihi passim imperitiam & ignorantiam impingit: quod affingit, scriptis meis, maximam partem ex *M. Antonii de Dominis septimo volumine de promissis, eiusmodi principia inesse, quae novam Neutralistarum sectam propugnare aliquando possint; & quia fortè Veterum nonnulla testimonia adduxi, quae etiam adduxerat Petavius, propterea Exscriptorem Petavii criminatur; & quod ex Gretseri ad Cantacuzenum notis mutuatus sim, quidquid de Gregorio Acyndino & Cantacuzeno scripserim. Nempe juxta ipsum qui in re quadam tractandâ conveniunt, eique firmandâ eadem vel ex Scripturâ vel ex antiquitate testimonia adhibent, alii ex aliis omnia transferibunt. Ille verò ostendat, quem paragraphum, quam lineam ex aliquo scriptore, non laudato ejus nomine, & verbis alio characterum genere non expressis, descripserim. Sed omnem movet lapidem, omnes maledicentiae nervos intendit, ut me tamquam mortalium indoctissimum & pessimum traducat. Consideret quæso Lector, hæc hominis verba: Antequinque lustrandum præcingebat Nasturcium Indicum Calixtina stoa vitreas: hodie nidore cerebrum, umbrâ foliorum lumina coloni sui præstringit. Quid mirum ergo post tot Nicotiana tentaculis frequentiores & magis salso ducuntur.*



ronchos. Sant qui existiment, eum mihi submittere Coryca-  
 os, qui quid domi mea agam, observent & renuncient. Quum  
 enim ex iis, qui curam horti habent, quærerem, responde-  
 bant verum esse, quod ante paucos annos Nasturtium in eo  
 feri cœperit. Quorsum autem mihi objicit tot *Nicotiana*, vel  
 si juxta regulas Grammaticæ loqueretur, *Nicotiana ientacula*?  
 Quid enim *Nicotiana* aliud, quàm quod vulgò *Tabacca*  
 appellatur? Galli, quod *D. Ioannes Nicotius*, *Regius aliquando in Lu-*  
*sitania Orator*, eius semen primus ad *Reginam matrem detulerit*, illi-  
 usq; facultates docuerit, *Nicotianam* & *Herbam Regina nominarunt*.  
 Ita *Carolus Crusius* in *Annotationibus ad Nicolai Monardi*  
*historiam simplicium medicamentorum ex novo orbe dela-*  
*torum*. Observat *Guilielmus Camdenus* in suis *Annalibus*,  
 reduces ex *Americâ* sub ductu *Francisci Draci* *Anglos* anno  
 MDLV in *Angliam* primùm intulisse. Ex illo, ait, tempore usu  
 cœpi esse creberrimo & magnopretio, dum quamplurimi graveolentem  
 illius fumum, alii lascivientes, alii valetudini consulentes, per tubulum  
 testaceum inexplebili aviditate passim hauriunt, & mox e naribus ef-  
 flant; adeo ut taberna *Tabacana* non minùs quàm *cervisaria* & *vi-*  
*naria* passim per oppida habeantur. Quid verò ad *Hulsemannum*,  
 si valetudinis ergo haustu aliquo *Nicotianæ* ego uterer? Dum  
 autem tot *Nicotiana ientacula* impropert, quid aliud agit,  
 quàm ut in eorum gregem me conjiciat, qui hîc modum ex-  
 cedunt, & *Nicotianâ* non minùs quàm vino abusi in *æroliâ* in-  
 cidunt? Audiatur autem & sciat, me non modò *Nicotianâ* nul-  
 lâ omnino uti, sed nidorem illum planè averfari, orique meo  
 tubulum seu fistulam, quâ ejusmodi ientacula attraherem, to-  
 tō vitæ meæ tempore numquam admovisse. *Labes mala*, ait *Sirac.* 20, 25  
*racides, in homine mendacium, & in rudium ore assidue versatur.*  
*Optabilior est fur, quàm mendax assiduus; utriq; verò perditionis he-*  
*reditatem consequentur.*

Parte 3  
 hist. sub  
 Elisab.

Caterum id totum ludicrum videri possit præ diris illis,  
 quæ mihi sine mente sine fronte tribuit & affingit; verbis  
 meis ipsis, quæ præ oculis & manibus habet, disertè adversa.  
 Exemplum præbebit *Epictetis*, quam quum *Colloquium Tho-*  
*runiense* indiceretur, scripsi & edidi. Ex eâ hîc oppono, quæ  
 legun-



leguntur numero tertio, & nonnullis sequentibus.

III. Cur omnes eos, qui suscepto baptismo unum Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Sanctum spiritum venerantur & adorant; & credunt Filium ex virgine natum, hominemque factum passionem & mortem suam a peccatis & peccatorum poenis nos redemisse, surrexisse, in cœlos adscendisse, ibi regnare & inde rediturum ad suscitandum mortuos & iudicandum cunctos homines; cur, inquam, hos omnes cives regni Dei ac Christi habeam, nec eorum quemquam, nisi de ejus adversus conscientiam peccandi, & in peccatis perseverandi libidine certò constet, excludere ausim, alibi exposui, nec hic opus est aut locus repetere.

IV. Ita verò credere eos, qui hodie Pontificii, Lutherani & Calviniani (utar tantisper receptis vocabulis) vocantur, notum est & extra controversiam. Consequens igitur est, hanc fidem ad salutem eis sufficere, & modò non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum, salvos fore. Nam *si secundum carnem vixerint, morientur*. Quò etiam pertinet, si quis verum, quod verum esse non ignorat, sui compendii, & redituum si ve acquirendorum si ve retinendorum, vel etiam estimationis conservandæ gratiâ erroris insimulet, improbet aut damnet.

V. Etiam si itaque quæstio de articulo fidei propriè ita dicto directè non moveatur; nemini tamen licet decisionem amplecti & profiteri, quam falsam esse persuasus fuerit, & rejicere ac damnare eam, quam nòverit esse veram: non quidem quòd à tali decisione Deus salutem suspenderit, aut absque illâ cognitâ & admittâ neminem servari velit, sed quòd hominem adeo improbum, ut reluctante conscientia falsa laudet, vera culpet



culpet & explodat, ferre nequeat, gratiâ verò suâ & beatitudine dignari planè nolit. Ergo talis salute excidet non propter errorem intellectus, sed propter pravitatem voluntatis. Quamvis igitur fundamenta salutis, quatenus in articulis fidei ab intellectu apprehendendis sita sunt, apud quamvis trium illarum partium integra superesse videantur, non tamen perinde fuerit, quam ex eis sequaris, vel liberum pro libitu ab unâ ad alteram transire.

VI. Est exemplum. Qui apud animum suum certus est, verba Servatoris de sanctâ Eucharistiâ, uti etiam de aliis per peculiarem revelationem patefactis mysteriis, accipienda esse sensu nativo, & ut sonant, quamvis ita accepta quod aliâs novum, inusitatum, inauditum enuncient, & proinde in Eucharistiâ sive Coenâ Dominicâ adesse, & quando editur panis, edi quoque corpus, & quando bibitur vinum, bibi quoque sanguinem Domini, non quidem mediante transubstantiatione, vel locali aliquâ inclusione, alligatione aut commixtione, neque interventu descensus vel ascensus, sed modo nobis planè incognito, supernaturali, ineffabili, incomprehensibili & indeterminabili, verè tamen & secundum ipsam substantiam; qui apud animum suum, inquam, hac de re certus est, ei non licet præsentiam negare, absentiam docere vel profiteri: & qui intelligit transubstantiationem nullam esse, & ex revelatione divinâ demonstrari non posse; panem benedictum sive consecratum, tamquam ipsum Dominum, extra usum præsentium, non adorabit. Qui præterea certus est, videt & intelligit Dominum aliter Eucharistiâ non instituisse, quàm ut *ut eucharistia* tum panis tum vinum distribuantur, is si aut Missas communionem destitutas proba-



verit, aut sub unâ communicaverit, Deum iratum habebit: agit enim aliter & contrâ quàm Deû mandasse novit.

Genf. pag. 146. Observet, quaso, benevolus & cordatus Lector, num, quemadmodum calumniatur Hulsemannus, scriptis & adser-tionibus meis *eiusmodi principia insint, quæ novam Neutralistarum sectam progignere aliquando possint*: num juxta me indifferens sit, neutram vel alterutram sententiam sive partem, contrâ quàm dicet cognita veritas & repugnans conscientia, amplecti & sectari: num Sociniani, Ariani, Anabaptistæ, David Georgiani, Pontificii aut Calviniani mihi omnes pari loco sint, vel orthodoxi habeantur. Omnes enim istæ sectæ profitentur, quod Calixtus requirit, ait

Pag 107. & Dial. pag. 153. Præfatione, quâ apud Serenissimum Principem Christianum Ludovicum, dominum meû, me traducit: & affirmat idipsum à me doceri in *Epistola ad Colloquium Thoruniense § 3, 4, 9, 18 &c.* Segmenta tertium & quartum unâ cum quinto & sexto jam adscripsi. Adscribam etiam nonum & decimum octavum, Lectorique arbitrandum relinquam, num in ipso mendaciorum & calumniarum auctore Diabolo major queat esse vel impudentia vel improbitas, quàm in Hulsemanno hæc mea loca versante aut allegante deprehenditur.

IX. Quomodo igitur eos tractabimus, qui non modò credunt, Deum creasse cœlos & terram, & quidquid est in cœlis & terrâ, resuscitaturum item mortuos, & judicaturum omnes homines, quod credunt quoque Judæi & Muhammedani, atque eatenus propius ad nos accedunt, quàm pagani: sed credunt etiam, quod non nisi Christianorum est, Deum creatorem cœli & terræ esse Patrem, Filium & Sanctum Spiritum? credunt præterea Filium, ut nos à peccatis & æternâ morte redimeret è Virgine natum hominem, passum & mortuum resurrexisse, adscendisse in cœlos, & rediturum inde ad judicium: interea eos, qui secundum revelationem divinam hisce ad sensum præbeant, & passionem ac mortem illam pro peccatis suis propitiationem esse agnoscant, esse



esse populum sive cœtum Deo peculiariter carum, id est, sanctam catholicam ecclesiam; cuius sub capite, rectore, protectore, rege & summo pontifice Iesu Christo ipsi quoque sint membra; & in hac ecclesiâ sese unâ cum reliquis commembris per illam passionem ac mortem unigeniti Filii Dei, & per illam fidem, remissionis peccatorum, & post hanc vitam æternæ beatitudinis participes fore sperant & confidunt: qui præterea baptizati sunt in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti; & qui sanctam Eucharistiam, etsi non planè uti oporteret, quatenus tamen datur, & edocti sunt, & hætenus capere potuerunt, participant: qui etiam si agnoscant & doleant se peccatum habere, peccato tamen non serviunt aut operam dant; nec secundum carnem vivunt, ejusve desideria perficiunt; nec membra sua sistunt arma injustitiæ; non sunt scortatores, neque mœchi, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces, nec opprimunt aut defraudant fratrem suum in aliquo negotio, nec aliquid veri, quò usque id adsequi & penetrare licuit, negant vel oppugnant: qui denique sese propter Dominum principatibus & potestatibus subjiunt; & quod attinet ritus & regimen exterius inferiusque ecclesiasticum, obœdiunt, morem gerunt & obsecundant ductoribus & præpositis suis, ceremoniasq; observant à majoribus institutas, & quas observat ecclesia, in quâ ipsi vivunt: etiam si fortè in iis non nihil desiderent, & mutatione aliquâ meliores & commodiores fore non negent; quam tamen sive quia privati, sive quia, quamvis publicâ auctoritate præditi, motus metuunt, & infirmos turbari vel offendi nolunt, non moliantur.

XIIX. Quæstio erat, quo loco eos, qui ita credant, Num. 9.  
ita



ita se gerant atque ita sint animati, quemadmodum ibi  
describatur, habere, & quomodo tum aliàs, tum præ-  
cipue in congressibus & colloquiis discutiendarum ec-  
clesiasticarum controversiarum ergo institutis, tractare  
deceat? Equidem, si tales, quales ibi descripti sunt, fue-  
rint, profiteor & testor coram Deo & sanctis Angelis, me  
non posse alio loco habere, nec alio adfectu prosequi,  
quàm quem civibus regni cœlestis & Christi membris,  
concorporibus & coheredibus meis, debeo. Eos, ite-  
rum dico, qui unum Deum, Patrem, Filium & Sanctum  
spiritum venerantur & adorant, & Filium, ut nobis, ex-  
piatis peccatis nostris, æternam vitam redderet, homi-  
nem natum, passum & mortuum esse credunt, & virtute  
ac merito passionis & mortis ejus se remissionem pecca-  
torum suorum consequi & æternâ vitâ posituros esse  
confidunt; de cætero autem abnegatâ impietate &  
mundanis cupiditatibus temperanter, & justè, & piè  
vivunt in præsentem seculo, expectantes beatam spem &  
adventum illum gloriosum magni Dei & servatoris no-  
stri Iesu Christi: eos, inquam, odisse nec volo nec pos-  
sum, sed ut benevolentia & officiis, quâ datur, prole-  
quar, & si alicubi errare persuasus sum, ut comiter &  
bonis rationibus errorem eximere coner, teneri me  
agnosco. Cum hoc animo & adfectu ante tribunal  
Christi, ad quod omnes, quum apparuerit magnus il-  
le pastorum princeps, sistemur, & Deo rationem red-  
demus, ipsius gratiâ me porro prosequente, compa-  
rebo.

XIX. Cæterum objiciet fortè nonnemo, illos etiam si  
ita se credere profiteantur, seriò tamen & reapse ita non  
credere; & quamvis pietatis & probitatis studium præ-  
se ferant, fucum tamen esse & hypocrisin. Respondeo,  
me pe-



me penetralia cordium rimari & introspicere non pos-  
se, nec id à me Deum requirere: sufficere itaque, si pro-  
fessionem & verbis sincerè, quantum extrinsecus apparet,  
& æstimari potest, prolatis fidem habeam, eumque qui  
malitiam nullam prodat, bonum esse censeam.

Quoniam timentate XIX compendium verborum secta-  
tus non repeto, quod eandem rem versans paulò antè dixe-  
ram, Christum resurrexisse, adscendisse in caelos, sedere ad dexteram  
Patris, vivere & regnare; hinc infert Hulsemannus, mihi perin-  
de esse, num ista affirmantur vel negentur: & quidem in De-  
dicatione inscripta Serenissimo Principi, penes quem post-  
hac vult esse tribunal cognoscendarum & dijudicandarum  
controversiarum religionis. Verba hominis ipsissima ad-  
scribam, & iudicium, quod dixi, Lectori committam.  
Non est dubium, inquit, quin Principes & Status  
Evangelici in Romano Imperio, manibus veluti  
palpent, non posse se quietam spectare Remp. si  
Doctores etiam quarumvis Sectarum & Promachi,  
qui in congressibus & Colloquiis publicis discutiendarum  
controversiarum Ecclesiasticarum ergò institutis, Se-  
ctarum partes voce & scriptis tuentur, (quales v. c.  
ante hoc quinquennium ad Colloquium Thoru-  
niense confluxerant) eo loco habendi, eo affectu prose-  
quendi, eo modo tractandi sunt, qui civibus regni caele-  
stis & Christi membris, qui concorporibus & cohæredi-  
bus Sanctorum DEBETVR, dummodò solis verbis  
sincerè, quantum extrinsecus apparet, prolatis profite-  
antur Quòd unum Deum, Patrem, Filium, & Spiri-  
tum Sanctum venerentur & adorent. Et Filium, ut ex-  
piatis peccatis nostris æternam vitam nobis redderet, ho-

De iure  
corrupt.  
fiat.

d

minem



minem natum, passum & mortuum esse crederent (An  
resurrexerit, ascenderit ad coelos, sedeat ad Dex-  
teram Patris vivens & regnans Deus, &c. nihil in-  
terest.) Et virtute ac merito Passionis & mortis ejus  
(et si non solo) se remissionem peccatorum suorum  
(infusionem gratiae expellentis peccatum) conse-  
qui, & vitam aeternam potituros esse confidant: De cetero  
abnegata impietate, temperanter justè & piè vivant.  
Hactenus Hulsemannus. Iudicet autem benignus Lector,  
num Satanas, si ex orco emergat, vel ausit vel valeat quae re-  
ctè, probè, disertè & perspicue proferuntur, majore insolentia  
pervertere & depravare, quam facit Hulsemannus.

- Pag. 267. In Epirome adferui non esse meritum hominum apud Deum pro-  
priè acceptum, quod secundum iustitiam mercede itidem propriè acce-  
ptà compensandum sit. Ex libro De bono perfectè summo pro-  
Pag. 30. fert ipse Hulsemannus hæc mea verba: Beatitudinem ipsam ne-  
Dialysi mo meretur, loquendo de merito, prout ad iustitiam propriè dictam sive  
Pag. 345. distributivam sive commutativam refertur. Annon eo modo & eis  
verbis omne meritum perfectè excluditur? præsertim si jun-  
gantur, quæ eodem tenore mox adjicio: sed gratuito Dei mu-  
nere & benignitate consequitur, quicumq; consequitur, interven-  
tū quidem fidei, non tamen fidei sub earratione, quā virtus est magis vel minus  
perfecta, sed potius sub illā, quā promissiones divinas apprehendit, & me-  
rito Christi innititur. Annon, inquam, qui ita loquitur, quid-  
quid rationem habet veri meriti, directè, disertè & simplici-  
ter excludit? Si mereri verò capiatur pro eo quod est consequi-  
tum sanè nemo negabit, homines præsertim Christianos ita  
se posse gerere, ut a Deo aliquid mereantur, id est, consequan-  
tur, sive quod ab eo promissum fuit, reportent. Pietas videli-  
cet promissionem habet vitæ præsentis & future. Eā de re monui Di-  
gressione de arte novā, ubi scripsi, quod etiam hic, si Lectori  
Pag. 432 fastidium non pariat, relegi poterit. Tò MERERI, inquam,  
Tertulliano, Cypriano, & ceteris deinceps scriptoribus tum ecclesiasticis  
tum exoticis pro consequi vel adipisci, quod Græcis τυχάναι, famili-  
liariss.



liare. Sicut itaq; mereri accipitur pro consequi; ita quoq; meritum pro  
quocumq; medio, cuius interventu aliquid consequimur, etiamsi non  
consequamur tamquam debitum ex iustitiâ ab eo, qui accepta à nobis  
secundum naturam rerum compensare teneatur, sed tamquam liberali-  
ter promissum ab eo, qui ex singulari & regiâ beneficentiâ statuerit ali-  
quem actum, è quo in ipsum alias nihil emolumenti redundet, & ex se  
spectatum haut tanti momenti, magnifico & grandi munere prosequi:  
quemadmodum Deus videlicet ex merâ suâ erga homines benevolentia  
statuit & promissit, fidem & ex fide procedentia caritatis opera, (qua  
tamen ipsa quoq; cuncta divina gratia accepto ferenda,) dono vite ater-  
ne gloriæq; dotibus, quæ in eâ erunt, afficere. Nihilominus calum-  
niatur Hulsemannus: Meritum de congruo non excludunt Calixtus Indicē  
& Horneus à Iustificatione & Glorificatione. Et Iudicio, quod Num. 9.  
meo Concordiæ Desiderio opposuit: Calixtus & Horneus in Dialysi  
disputationibus sola merita de condigno excludunt à concursu cum pag. 144.  
meritis Christi, non meritum de congruo. Quare verò non ex-  
cludunt? Quia, inquit, non nisi meritum PROPRIE dictum, Pag. 436.  
quod ad iustitiam propriè dictam, sive distributivam sive commutati-  
vam referatur, negant & oppugnant. Si igitur, inquam, meri-  
tum de congruo rationem aliquam verè & propriè dicti meriti  
participat, satis negatur, satis oppugnatur; & laudo ego ea-  
dem Digressionè dictum Thomæ VValdensis; Simpliciter nemo  
meretur regnum cælorum. Meritum nostrum in hoc articulo minimè  
Deus attendit, sive rationem congrui vel condigni, sed gratiam suam,  
aut voluntatem suam, aut misericordiam suam. Si verò nulla pror-  
sus ratio veri & propriè dicti meriti Merito de congruo inest,  
atque adeo quibus mereri de congruo nihil aliud fuerit quàm  
consequi, eos haut opus est impugnari.

Quòd mihi Hulsemannus perulanter & impudenter affin-  
gat, me Epitomes meæ paginâ 125 referre peccata regnantia in numerum  
peccatorum venialium, etiamsi hac ipsâ paginâ expressissimè do-  
cuerim Omne peccatum naturâ suâ mereri poenam aternam, item O-  
mne peccatum suâ naturâ mortale esse, nullum veniale nisi ex accidente;  
id ostensum fuit in der Antwort auff sein Muster/ num. XIX. Iti-  
dem ostensum fuit, quantam mihi injuriam faciat, quòd pas-  
sim & sæpius quàm centies, ut puto, in effreni & effera suâ Di-



alys mihi tribuit, quasi negem existare in Vetere testamento  
loca, quæ ad probandam divinitatem Christi faciant, quum  
pro eâ ex illo & loca adduxerim, & prolixè disputaverim. Vi-  
deatur superius *Wiederlegung* num. XLIV & LH: item *Nach-  
der Wiederlegung* num. XXI: item *Beantwortung* num. XVI.  
Quæ ibi dixi hîc repetere neque lubet, neque vacat.

Existimo enim Lectori jam constare, quod nihil adeo per-  
spicue & disertè vel affirmari possit vel negari, quin contra-  
rium sensum sive affirmanti sive neganti affingere ausit Hulfemannus. Id autem præcipuum sibi imperavit, ut quidquid  
à me proficiscitur, improbet & damnet. Ante annum ego  
*Desiderium & studium concordia ecclesiastica* edidi: nec mora, ille  
IUDICIUM suum (cui scilicet meritò acquiescere omnes o-  
porteat) opponit, & ex cathedrâ suâ definit, *Desiderium Calix-  
tium, prout in thesibus istis exprimitur, erroneum esse, scandalosum &  
noxium*. Age igitur, Theses istas Symbolis & confessionibus  
mox adjungendis subiciam, & æquo Christianoquæ Lectori  
iudicium, num *Desiderium* meum tale sit, quale criminatur  
Hulfemannus, lubens committam. Aut enim damnatur  
*Desiderium* secundum se spectatum; aut quatenus annecto  
consilia & media, quæ mihi attentius consideranti in men-  
tem venerunt, & ad rem factura videntur, sine omni tamen  
præiudicio, atque ita ut nemini quidquam præcipiam vel  
præscribam. Attigi eandem hanc rem superius, ubi de Col-  
loquio Thoruniensi agebam; & nonnulla huc itidem facien-  
tia dixi sub finem der Antwort auff Hulfemanni Muster, nu-  
mero CX & seqq. quæ ibi videri possunt, nec hîc opus est re-  
peti. Subjungam autem, ut dixi, ipsum illud meum *Deside-  
rium & studium*, & Lectori arbitrandum relinquam, num sit,  
sicut initio Iudicii sui pronunciat Hulfemannus, *erroneum,  
scandalosum & noxium*; num ita comparatum, ut fateri necesse ha-  
beat, se tantas nugas à tali viro in re tam gravi minimè expectasse; de-  
nique num in eo, quemadmodum sub finem Iudicii judicare  
pergit, occurrant & inveniantur *opinionibus dubio procul a Diabolo  
inspirata vel suggestiones illius homicide & mendacis spiritus*, aut qua-  
talibus pares haberi debeant.

Inpri-

Vide lit.

Qq & Rr 2

Num. 15.



In primis autem in Symbolum Apostolicum invehitur, quo ego alibi omnia Credenda, quatenus ab Agendis sive doctrinâ Sacramentali & Morali distinguuntur, comprehendi statuo: atque ita quidem, ut emineant fides Trinitatis & Incarnationis, sive quod credendum est in unum Deum, nempe in Deum Patrem, & in Filium ejus unigenitum, qui ex Mariâ virgine natus homo pro nobis passus & mortuus, & in Spiritum sanctum. Hæc hætenus ad salutem hominibus, qui uberiorum & accuratiorum capaces non fuerint, sufficere: exponenda latius, ubi usus vel opus fuerit, juxta formulas & ductum symbolorum Nicani, Athanasiani, & synodorum Ephesinæ & Chalcedonenfis. Ut autem Apostolicum symbolum, quod tamen ego in Desiderio vix nominaveram, sublimi isto loco, quem hætenus in Ecclesiâ obtinuit, deiciat, non tantum summis suis viribus annuitur, sed advocat etiam subsidiariam operam Genevensium, Batavorum, Scotorum, Moguntinorum, Puritanorum & Pontificiorum. Tandem in hæc verba prorumpit: *Inauditum est inde ab origine Christiani nominis, solum Symboli Apostolici approbationem esse signum discretivum orthodoxi ab hæretico.* Agitur autem de discernendis orthodoxis & hæreticis, quantum attinet credenda. At dixit Lutherus, *Das Symbolum der Apostel ist das allerfeinste, das turs und richtig die Artikel des Glaubens gar sein fasset.* Dixerunt post illum alii, *symbolo comprehenditur quidquid Christianum credere oporteat; contineri omnia capita totius religionis Christianæ, rectè, perspicuè & ordine; inde Barbaros potuisse iudicare, qua doctrina esset blasphema, quia videlicet non quadraret ad normam & regulam doctrinæ Apostolicæ in Symbolo expositam; id ipsum esse indubitatum notam, quâ Christiani cognoscantur, & ab Ecclesiâ hostibus discernantur; subsequuntis temporibus celebrata Concilia nullum novum articulum fidei condidisse; & symbola ab iis edita non esse propriè alia à Symbolo Apostolico, sed tantum Apostolici repetitionem & declarationem.* Auctorum nomina & ipsissima verba Symbolo paullo post recitando adjungentur.

Num. |  
14.

Quare verò tanto conatu & fervore in contrarium nititur Hulsemannus? Nempe (liceat mihi, quantum probabili conjecturâ adsequi valeo, promere) si articuli fidei, qui propriè *fidei* & æque articuli fidei dicuntur, sive credenda, quatenus credenda sunt,



da sunt, & adibus internis perficiuntur, nec in externos pro-  
deunt, intra limites & ambitum Symboli Apostolici, utur  
juxta tenorem Athanasiani, Nicani aliorumque œcumeni-  
corum accepti, coërceantur; nullus erit locus vel presen-  
tiæ carnis & corporis Christi in omnibus Vbi, in quibus ejus est  
divinitas, vel durabili illi carnis & corporis Christi cum carne  
& corpore fidelium conjunctioni, factæ per indistantiam lo-  
calem & approximationem substantiæ ad substantiam, vel aliis  
porrò invehendis doctrinarum novitatibus. Quin neq; magnus  
erit usus tribunalis, quod *ἀναγκαστικόν* Romanæ non ab similem  
sibi vindicet, controversias de quibusvis exortis quæstionibus  
& locorum Scripturæ interpretationibus determinet, atque  
adeo articulis Symboli Apostolici novos, quos non magis  
quàm antiquos liceat in dubium vocare, adjiciat. Cujus rei arbi-  
trium magnam partem, nisi valde fallor, in suâ manu fore sibi  
promittit Hulsemannus. Ut igitur tribunal, quale dixi, stabili-  
at, conatur ex Christi verbis demonstrare, quòd ad salutem non  
sufficiat paucos & certos quosdam articulos Symbolo Aposto-  
lico comprehensos, utpote fundamenta salutis, amplecti, sed  
quòd qui vel minimum circa quamcumque veritatem à Scrip-  
turis indicatam vel interpretationem alicujus loci Scripturæ aber-  
raverit, minimus sive nullus sit futurus in regno cœlorum. Di-  
ces, Quis omnes in Scripturis abstrusas veritates eruet, & nobis  
liquidò ob oculos ponet? quis omnium difficilium Scripturæ lo-  
corum certam & indubitatam interpretationem proferet? Quis  
verò alius, quàm Hulsemannus, Calovius, Scharfius, VVellerus?  
Et hinc fortè jam pingitur à suis Hulsemannus fornice supra  
verticem patulo, & luce cœlitus illapsâ collustratus. Concedent  
tamen, quemadmodum etiam concedit Romanus pontifex, de-  
creta & determinationes suas sine crimine ignorari: sed cogni-  
tas negari vel in dubium vocari (id enim auctoritati judicium  
indicit & tribunalis derogaret) nullo modo ferent. *Non sequitur, ait  
num. 1. Hulsemannus, Cuius dogmatis ignorantia innoxia est, eius affirmatio vel  
negatio indifferens est.*

Mox subjicit Christum & Apostolos à communione regni cœlestis excu-  
sasse eos, qui vel unum de minimis codice sacro assertis negaverint, vel de ne-  
gatis affirmaverint. De iis, qui quòd manifestum est, & manifestum  
sic



esse confiterit, contra suam conscientiam & ex merâ improbi-  
tate impugnauerint, concedo: de aliis qui vel per dicti obscuri-  
tatem vel per suam infirmitatem aberrauerint, nego. Verbi gra-  
tiâ, Apostolum dum *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum* 1 Cor.  
& *stipulam* nominat, & *igne probari* dicit, quin *exuri*; aut affirmat 3, 12.  
errores doctrinæ fundamentali superadditos supremi iudicii die  
severo examini subiectum & reprobatum iri, aut non affirmat:  
quum dicit, quod *mulier debeat potestatem in capite habere propter an-* 1 Cor.  
*gelos*; aut verum est cœlestes spiritus intelligi, aut non est verum. 10, 11.  
Num qui hic affirmaverit, quod negari verum est, vel contra; à  
commercio regni cœlestis excludetur? Quum dicit Ecclesiastes  
*Spiritum redire ad Deum, qui dederit illum*; aut docet animam rati- Cap. 12.  
onalem à Deo immediate dari sive creari & à parentibus non vi 7.  
traduci, aut non docet; aut id ipsum hic adserit, aut non adserit.  
Num si adserit, id tamen aliquis negaverit adseri, si non adserit, a-  
liquis adserere affirmaverit; alteruter error necessario damnati-  
onem inducet? Probandum potius quod docet David Chytraus,  
*in disputationibus Theologicis discrimen tenendum esse inter articulos fidei* In A-  
*perspicuis testimoniis verbi divini traditos, omnibusq; ad salutem cognitu* poc. c. 3  
*necessarios, & alias materias non satis perspicue in verbo Dei explicatas;*  
*quales sunt, inquit, an anime hominum oriuntur ex radice, an vero de*  
*novo creentur & inserantur corporibus.*

Hulsemannus autem in hunc modum detonat: Christus & Apo-  
stoli à communionem regni cœlestis excluderunt eos, qui vel unum de minimis  
codice sacro assertis negaverint, vel de negatis affirmaverint. Matth. V, 18:  
Quicumq; solverit vel unum apicem de hisce, quæ in lege existât,  
minimus erit in regno cœlorum. Solvendi autem verbum notare hoc  
loco non solum violationem, quæ moribus & facto, sed illam quoq; quæ  
falsâ interpretatione fit, ex parallâsi constat, Ioh. X, 35, quando  
iudices seculares filii Dei dicuntur, non solvitur scriptura. Verba Serva-  
toris isto sancti Iohannis loco hæc sunt: Nonne scriptum est in Lege  
vestrâ, Ego dixi, Diestis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est,  
& non potest solvi Scriptura, id est, non potest argui falsitatis, quasi  
aliquid protulerit, quod nullo sensu, nullo modo sit verum. Hæc  
scriptura, ait Aegidius Hunnius ad hunc locum, nec sô vi, nec ut fa'la  
reprehendi potest. Scriptura nihil falsi proponit, sed quidquid pro-  
ponit,



ponit, aliquo omnino sensu verum est. Sed inde non recte infer-  
tur, quod quicumque illum verum sensum alicubi non adsequitur,  
salute excidat. Verba vero Servatoris, quae ex Mathæo producit,  
ita habent: sicut enim ab Hulsemanno producentur, vel malâ fi-  
de, vel à dormitante producta sunt. *Qui solverit unum de mandatis  
istis minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno caelorum.*  
Agit Servator contra Phariseos, qui sibi ex lege iustitiam & salu-  
tem promittebant, & nihilominus multorum legis præceptorum  
violationem iustitiæ & saluti non obstare existimabant. *Qui sol-  
verit unum de mandatis istis minimis*, quæ videlicet magistri illi mi-  
nima esse, & salvâ iustitiâ & salute negligi posse contendunt, & i-  
ta, ut modò dictum fuit, *homines docuerit, minimus* (in harret paro-  
nomasiæ) *vocabitur in regno caelorum*, id est, nullus erit. Nam, ut  
mox subjicit, *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum &  
Pharisaorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Num hinc sequitur  
aut elici potest, quod regno cœlesti excludatur, quicumque in in-  
terpretatione minimi Scripturæ loci aberraverit? Audiatur au-  
tem interpres hujus loci Aegidius Hunnius: *Quam necessaria sit le-  
gis impletio, hinc docet Christus, quia is, qui solvat vel minimum ex man-  
datis Dei, transgrediendo illud, atque alios quoque sic doceat, sit planè nullus in  
regno caelorum.* Item: *Agit hoc in loco Christus legalem concionatorem, &  
demonstrat, quid lex Dei a nobis hominibus requirat, iuxta cuius canonem  
recte pronunciat, non patere ulli homini ingressum in regnum caelorum, nisi  
legem Dei fecerit & adimplerit: siquidem Deus imperfecto obsequio possessionem  
regni cœlestis non decernat.* Audiatur etiâ Martinus Chemnitius:  
*Que exempli gratiâ à Christo de interpretatione aliquot præceptorum Mat-  
thæi quinto adducuntur, manifestè ostendunt, quæ Pharisei intellexerint  
minima mandata, Non irasci fratri; dicere Racha vel fatue; qui viderit  
uxorem ad concupiscendam eam, &c. Manifesta igitur est declaratio, de  
quibus mandatis loquatur, quæ Pharisaorum Cabala minima vocavit, &  
sine detrimento iustitiæ solvi posse docuit, si modò reliqua in lege servarentur.*  
Christus verò pronuntiat: *Nisi facta fuerit reconciliatio cum Deo, & remissio  
in hac vitâ, in carcerem mitteris.* Sed ego antehac edita Symbola &  
confessiones iterum hic subjicio, & Desiderium concordie ad-  
jungo, ut consideret cordatus Lector, num in illo novitates, in  
isto nugæ & opiniones à diabolo inspira-  
tæ occurrant.

SANCTAE

Ex. cō-  
cil. Tr.  
de ho-  
nis o-  
pci. q. 3